

... et p...
... er...
... **P**...
... qua
... fenu
... pmanes
... ganat
... **P**...
... tris
... filii
... ne
... nobis
... dam
... **ne** **le** **po**
... qua
... no du
... inoce
... m...
... **Q**...
... was

Hic s. Conuenientia
nobis unum in hoc est
dumca cena m...
q... eni sua cena p...
admanducandu. Et alii quide
esurit. alius aut eius est
Nunquid domos no hēns ad
manducandu. et bibendu. et
ecclesiar di coceptuans. et co
suidius eos qui no habet
Qd dicit nobis: Laudo uos
in hoc no laudo. Ego eni ac
cepi a dno: qd et tradidi uob
qm dñs ihc in q nocte tra
bat. accepit panes et gras
ages fregit et dixit. **H**oc e cor
pus meū qd pro uob tradit.
hoc facite in mea cōmēdiatio
ne. **S**umit et calicē postea
cenauit dicens. **H**ic calice in
uū testamēti ē in ea sanguie

IOLAS.

ECLOGA IN HO-

NOREM NVPTIA-

RV M REVERENDI ET DO.

ctissimi Viri, Dn. M. THOMÆ AL-

BERTI Ecclesiæ Dei in Urbe Prentzlo-

uensi, ad D. Nicolaum, Pastoris, Sponsi:

Et honestæ ac pudicissimæ Virginis MAR-

GARETÆ, GREGORII

BRANDES P. M. relicte Filie,

Et nunc clarissimi Viri Dn. Adami

Kalbij ibidem Senatoris priuignæ,

Sponsæ. Celebratarum Anno

1587. die 25. Septemb.

Scripta

à

M. DAVIDE HERLITZIO, Medico, Publico
Mathematicum Professore in Academia
Gryphiswaldensi.



* *

214

GRYPHISVVALDIAE

In Officina Typographica Augustini Ferberi.

ANNO D. M. LXXXVII.

ECLOGA NUP TIALIS
I O L A S.

MENALCAS DAPHNIS.

DAPH. **Q**uò te, Daphni, pedes? Vicinam iturus in urbem?
Non ego: sed vagor hìc spoliato tristis in agro,
Et deploro meas clades, deploro laborem,
Quo me, dum Phœbus semel orbem conficit, anxi.
Nam dum sperabam segetes incidere falce,
Ecce miserrimus omnium ego spe lactor inani,
Sic procumbebat gravidis mihi culmus aristis,
Ob nimbos, sauiq; furentia praelia venti,
Ut nil, quo hanc hyemem possim traducere, restet.
Usq; adeò penitus vanis me elusit auenis
Expectata seges. Vos ô lappa tribuliq;
Tu dirum lolium, tuq; ô mala pestis agrorum
Mus, & capte oculis talpa, & formica senectæ
Furto succurrens (quod nec benè vertat) aperto,
Vos ô vos nimium charæ crudelia terræ
Monstra, absumsistis quantum mihi farris aceruum.
Quid prodest labor? aut quibus hos conseruimus agros?
MEN. Hæc si cuncta tuis (ut ais) dominantur in agris,
Dico equidẽ, haud tua nunc tibi rumpet horrea messes.
DAPH. Quid faciam? num coniugio me exire licebit,
Et mage propitios alibi cognoscere Diuos?
Certè hinc me rapiam, aut sitientes forsan ad Afros,
Aut aliò, fortè ad rapidum fugiemus Oaxen,

Aut

*Aut quò fata trahunt miserum retrahuntq; sequamur.
Fam sordet patrium congestum cespite culmen.*

MEN. *Parcius ista Dijs tamen obijcienda memento,
Æthera nec diris turbes sublimia votis,
Commoueasq; Deos, quibus est custodia ruris.
Ecquid enim curis animum mordacibus angis?
Crede, utut hæc fuerint, hominumq; Deumq; repertor,
Vos Coryli testes, vos rustica numina testes,
Te largo & prolem victu satiabit egenam.
Quod mutare potest nemo, perferre jubemur.*

DAPH. *O crudele nefas, nil tu mea funera curas,
Nil nostri miserere, mori quin deniq; cogar.
Nam me mordet, & haud lentas mihi suscitatur iras.
O tantum hæc liceat mihi relinquere sordida ruina,
Atq; alias habitare casas, & vertere cælum,
Tres gallos, totidemq; capras, nostrumq; Lyciscam,
Qui candore niues anteit, Titanaq; cursu,
Donarem tibi: quin etiam, quam sæpè petisti,
Nisam connubio afferrem, propriamq; dicarem.
Hinc me ergò eripias, & eris mihi magnus Apollo.*

MEN. *Et tu tam rudis es, tam pleno intentus omaso,
Nec curare Deos credis mortalia, stulte?
Hercle parum efficient, vicine, hæc impia vota.
Quin hæc ex animo dele, sic fata volebant.
Namq; ego in Autumno, pecudes quando ipse totondi,
Exposui centum lana venalia pondo,
Meq; aliquam summam argenti conflare putabam.
Quid fit? ego hybernis niuib; vix pabula possum*

A 2 Mer-

Mercari, & vitam pecudum seruare mearum,
Cætera quo mihi sit victura domuncula pacto,
Scilicet hoc populus non curat, ridet idipsum.
Ergò nos animo placido illa feramus oportet.
Et quoniam tempestiuè ad eò conuenimus ambo,
Fare age, quæso, noui quidnam dicatur in urbe,
Dum vacat, & pasta veniunt ad mulctra capellæ.

DAPH. *Posthabeamnè tuis hodiè mea seria ludis?*
Non ita dextra meis afflauit frugibus aura,
Delectare queat rerum ut me fama nouarum,
Omnia sed cui candida sunt, cui faris abundè est,
Hæc potius curet. Cum me tamen ad mea ducant
(Ut te) rura pedes, tibi non contrarius obsto.
Dicam aliquid, nec te suspensum voce tenebo,
Sed tantum breuibus depingam pleraq; verbis.
Nam si cuncta tibi repetens ab origine pandam,
Alba diem tecto componet Cynthia Olympo.

MEN. *Tolle moras igitur, semper nocuère paratis.*

DAPH. *At caput in medio quoniam fert Phœbus Olympo,*
Huc age nobiscum hoc antro succede, vel inter
(Si mauiis) densos umbrosa cacumina fagos,
Ne grauis hîc nobis sit fortè loquentibus æstus,
Nam defessa traho vix genua, & gratior umbra est.
Ipsæ etiam pecudes umbras & frigora captant.

MEN. *Et placet, & cupidus rerum sum valdè nouarum.*

DAPH. *Notus, amice, tibi est noster venerandus IO-*
Omniibus humanus multaq; peritus in arte, (LAS?)
• Magnos ille libros sedulò voluitq; legitq;

Et

Et, quando non terga bouum lassantur aratri,
Atq; coronato non ad praesepia torui
Stant capite, à summo missum nobis Patre Verbum
Declarat, nostraeq; animae bona pabula praebet.
Ille aliam vitæ sociam thalamiq; iugalis,
Oblitus cladisq; suæ, veterumq; malorum,
Quæ fuit: quin ferre pedes de limine templi
Sponsum, & cum Socijs tecto succedere vidi,
Nuper ubi in nostram cæpas portauimus urbem,
Atq; obbam lactis, fumanti & farta canistro,
Caseolosq; recens pressos, & molle butyrum,
Et fortè in nitidis centum ova recentia qualis.

MEN. Quæso mihi breuibus pompam describito verbis.

DAPH. Illuc turba omnis tectis effusa ruebant,
Matres, atq; viri, pueri, innuptæq; puellæ.
Præstò illic aderat concentu dulcis Iopas,
Carminibusq; Linus præstans, & cantibus Orpheus,
Humanamq; gerens faciem Citharædus Apollo.
Hos resonare lyra video, quæ non mihi visa est
Hactenus, hac (mirum) vocem tenuère cicadæ,
Illius tacitæ cantum stupuère Napææ,
Prostratæq; iacent vaccæ illa ad carmina, ovesq;
Oblitæ cythisum auscultant, frondesq; capellæ.

MEN. Quid si illi certent Musas superare canendo?

DAPH. Ipsæ etiam montes voces ad Sydera iactant
Læticia, & celsæ meditantur carmina rupes-
Quin videas rigidas motare cacumina quercus.
Ille ergò attonitus fermè dulcedine factus,

p. cerbum
Astans luminibus lustrabam singula fixis,
Et tantum fratrum numerum, tanta agmina vidi
Quanto luce solent media resonare cicada.

MEN. Crede, darem geminos vidissem ut talia gallos.

DAPH. Primus agit pompam magno agmine cinctus Iolas.

X
Docta cupressifero redimitus tempora sero,
Conspicique illum suppresso in murmure secum,
Pro faustis captis Divos in vota vocare.

Post nova nupta subit digitis deducta duorum,
Sidereos deiecit oculos, ornata decenti
Forma, ceu vernis misceres lilia multa

Alba rosis, letos premit aurea vitta capillos.

MEN. Euge tibi letor, tibi candida grator, Iola.

DAPH. Deinde puellarum succedere longa videbam

Agmina Iô, quantum decoris spendebat in ore
Candidulo, cingitque angusta corolla capillos,
Lacteaque innectunt aurata colla catena.

MEN. Cor salit, et iamiam molles iterare choreas
Gestirem, heus Corydon recubans sub tegmine fagi,
Sylvestrem tenui Musam mihi concine avena.

DAPH. Me quoque tum turbabat amor, defixus in uno

Harebam obtutu stupidus, circum omnia lustrans,
Nec vidisse semel satis est, iuvat usque tueri,
Et conferre gradum, et venturas visere ocellis.

Credo, omnes Musas (namque his dilectus Iolas)
Vertice posthabito Parnassi, hac sacra petisse,
Et sponsam unanimes sacram duxisse per eadem.

MEN. Fortè coloratis ierunt vestibus omnes?

DAPH.

DAPH. *Arte laborata vestes, ostroq; superbo,
Depictaq; croco, & fulgenti murice, multos
Reddebant stupidos, tenet admiratio multos.
Non vidi curtis formosam in vestibus ullam,
Ut nostrae Nisae, sed distent & ampliter ibant,
Tympana ut in nostris cernis pendentia templis.
Has postquam vidi, perij, flammascq; tuendo
Hansi ego, & in pectus caecos absorbui amoris
Ignes, quos nec aquis perimas magicisue susurris,
Nec quos graminibus minuas, vel inanibus umbris.
Tandem longa cohors matrum festa agmina clausit.*

MEN. *Cetera quin etiam simili breuitate recenses?*

DAPH. *Postquam conuenere omnes, discumbere in ostro
Delitijs iussi, & dapibus se inferre futuris.*

*Cetera non memini, stolidus nec singula vidi,
Nam dum forte sequor turbae vestigia, custos
Reppulit, & (res o risu celebranda bimestri)
Me miserum egregie mulctauit verbere Daphnin.*

MEN. *Multa bouum forsitan macltarunt corpora morti,
Setigerosq; sues: illis non area porri
Cæpa rubensue famem, nec rapa, nec allia pellant.*

DAPH. *Non olus, aut fatuae fabrorum prandia beta,
Non lardum, aut leuibus quæ sunt tosta oua fauillis,
Cerea vimineis seruataq; pruna canistris,
Deniq; non glandes, aut castaneæ hirsuta.
Fercula quin potius leporumq; anatumq; fuere,
Et dama, capreaq; & aper Liboride Sylua,
Ardea, grus, perdix, fulica, & Vulturinus anser,*

Et

Et Cydonia cana, auro & certantia mala.

MEN. *Non ibi sicca sitis fauces exussit anhelas,
Non ibi fecundas oneravit aqua improba mensas.*

DAPH. *Vina bibant homines, vitreae imbricus humor a-
Anseribus detur, fatuas recreetq; capellas. (quai
Dulcia quin igitur siccarunt pocula Bacchi,
Vertentes leti crateras, humida donec
Fruoluit terras umbra & ruit Oceano nox.*

MEN. *Ergo age, nam latis humeris tibi fistula pendet,
Ad choreas sponsi labris turgentibus infla,
Omina dicamus thalamo, geniumq; citemus,
Cantantesq; fruamur, & ocia leta sequamur.*

DAPH. *Quale ego stridenti stipula disperdere carmen
Possim? Namq; meis humeris qua fistula pendet,
Sic canit, ut credas aliquem mugire iuencum,
Aut grunnire suem in cœno, aut crepitare cicadas.
Quid quod sunt oblita mihi mea carmina, Daphnin
Vox etiam fugit ipsa, lupi hunc videre priores.*

MEN. *Ipse etiam argutos inter strepo ut anser olores.
Quid tum? Sunt superis quoq; vota agrestia cura,
Phœbus amat nostram, quamvis sit rustica, Musam.
Hunc etiam dumeta iuvant, humilesq; myrica,
Carmina sunt dicenda, neget quis carmina Iola?*

DAPH. *Ergo age, si quid habes, in me mora non erit unq;
Occupet extremum podagra, hinc mihi turpe relinqui,
Nec quenquam fugio, nec cuiquam carmine cedo.
Dicito, quandoquidem in gelida consedimus umbra.*

VOTVM.

MEN.

MEN.

Musa mihi versus memora, & mihi suggere vires.
Ut sator exoptat, messem vel vinitor vnas,
Arida q̄ irriguum fontem sata, prata q̄ rorem:
Sic noua nupta sitit socialis gaudia lecti,
Et tenero bis ter rapere oscula dulcia lusu.
Dicite Iò iuuenes & Iò geminate puellæ.

DAPH.

Lusus amat thalamos, & amat sua ludrica lectū,
Lis thalamis aliena, & habet sua gaudia lectus,
Fert pacem thalamus cultus, fert culcitra somnum.
Somne Iò, pax dulcis, Iò caritate puellæ.

MEN.

Noster, quid sit amor, iam demum sentit Iolas,
Quid sit amor, quid hymen, quid sint connubia sentit.
Dicite Iò iuuenes, & Iò geminate puellæ.
Oscula Iò, amplexus Iò, cantate puellæ.

DAPH.

Huc agite ô Dryades, vosq̄ ô bonæ Oreades, & nunc
Mecum agitate pares choreas, & fingite versus.
Hesperus aduenit chari celebrator amoris,
Qui pulchros lusus & dulcia gaudia monstrat.
Dicite Iò iuuenes, & Iò geminate puellæ.

MEN.

O Dryades, florumq̄ Deæ Nymphæq̄ decentes,
Et nemorum Syluane pater, mihi suggere Versus.
Sponsus, amor quid sit, tenet, atq̄ amat, atq̄ adama-
Ac veluti quoties peregrina ex arbore vulso (tur.
Surculus inseritur trunco, natura duorum
Fungitur, & mixto concrescit virga bacillo:
Sic sponso sponsæ se chara immerfit imago,
Fecit amor duo corda unum, duo corpora in unum
Traxit, & idem est sensus, & est quoq̄ spiritus idem.

Dicite

Dicite Iò iuuenes, & Iò geminate puellæ.

DAPH.

Quæ tibi nascenti fulserunt Sydera, Sponse?
Quæ tibi tam fausti illuxit pars prospera cæli?
Ecce dies genialis adest, tibi ducitur uxor,
Splendida, formosa, & redamari digna virago,
Candidior cygnis, hedera speciosior alba,
Diuarum genus egregium, & dijs æqua propago.
Hanc Algon adamet, nonagenarius Algon,
Et velit hanc Ægon, octogenarius Ægon,
Dicite Iò iuuenes, & Iò geminate puellæ,

MEN.

Crediderim hanc tantum reliquas superare puellas,
Quantum vel tribulos superat rosa, populus algam,
Lenta salix quantum pallentem vincit oliuam,
Castaneæ iuncum, niueam formica iuuenecam.
Dicite Iò iuuenes, & Iò geminate puellæ.

DAPH.

Sed sitio, & certè semel, ò bone Daphni, bibendum est.
Quin bibe, namq; fluet melius post pocula sermo.

MEN.

Vina & amicitias, & vires corporis augent.
Vina sitim sedant, animumq; doloribus orbant.

DAPH.

Funde iterum, atq; iterum bibito, dilecte Menalca,
Et vinum morbis, animo & medicina soluto est.

MEN.

Nunc tua Menalios pergat dare fistula versus.

DAPH.

Suggere Menalios, mea fistula, suggere versus.
Dic qualem sponsam noster sibi ducat Iolas?
Docta & acu, docta & lino, doctissima lana.
Non alijs cedit, non cedit munere fusi,
Seu quid pingat acu, seu mollis velleræ lana
Tractet, seu digitis holoserica fila tenellis

Dedu-

Deducat, vigilans siue aurea braeëta texat.
Suggere Menalios, mea fistula, suggere versus.

MEN. Nec tamen omninò cælum tibi defuit omne,
Sponsa, vir est pietate grauis, rerumq; peritus
Sacrarum, è magnis potuit quas discere libris,
Et sacro in templo nobis proponere, quando
Luce sacra tauris curans iuga soluit arator,
Et clauso pastor cessat tunicatus ouili,
Sedet & ante focum Syluana, coquiq; polentam.
Suggere Menalios, mea fistula, suggere versus.

DAP. Quàm benè conueniunt quæ dicis, chare Menalca
Ipse pater sponsæ egregijs erat acer in armis
Miles, equo promptus, stricto sed promptior ense,
Intrepidus Gallò opposuit se sæpius hosti.
Tandem ibi deseruit pulchram per vulnera vitam:
Sic etiam est sponsus diuinis acer in armis
Miles, & è verbo intrepidus sese obijcit hosti,
Hosti qui in puro Zizania semine miscet.
Hunc ille ore potens, lingua ille doctus utraq;
Prosternit, magno & solers feruore refellit:
Mella flauit illi, fauus illi stillat ab ore.
O digno coniuncta viro, coniuncta marito:
Suggere Menalios, mea fistula, suggere versus.

MEN. En iterum benè conueniunt, quæ nunc quoq; dicam,
Omina sæpè subesse solent in nomine, nomen
Sponsæ est Margaridos, pretiosam intelligo gemmam,
Quam redimam argento puro, fuluisq; metallis:
Dogmata sic sunt pulchræ instar cælestia Perle,
Quæ nobis miseris fidus proponit Iolas.
Scilicet hæc cæli bona sunt, cæli hæc bona cunctis
Anteferenda bonis decimo sunt interuallo.
Perla hæc tantum alia exuperat dona, aurea dona
Quantum curua solent celse viburna cupressi.
Suggere Menalios, mea fistula, suggere versus.

DAP. Nimirum is Perlam, & pretiosi fulua metalli
Pondera, thesaurosq; Arabum, Indorumq; Serumq;
Inuenit, vxorem qui castam ineunerit, ille
Prosper homo est, hinc huic sunt omnia dulcia, cura

Hinc abeunt, leto hinc geminataq; gaudia gliscunt.
Talia cui veniunt, gallinae is filius albæ est.
Suggere Menalios, mea fistula, suggere versus.

MEN. O igitur felix, ô terq; quaterq; beate
Sponse, atq; ô felix, ô terq; quaterq; beata.
Sponsa es, iuncta viro tali, & iuncte puella,
Felices ambo, ambo terq; quaterq; beati.
Ex illo uiuant gemini vt, sine lite, columbi,
Nox socios videat, socios lux, ter tria lolas
Oscula compressis linquat signata labellis.
Suggere Menalios, mea fistula, suggere versus.

DAP. Sed iam vesper adest, Solq; aureus occidit, & ne
Fortè absens olere aut atra ossa mulier, eundum est.
Desine Menalios, mea fistula, desine versus.

MEN. Cæli opifex Deus, alme Deus, qui ab origine prima,
Cum muliere marem sociali fœdere iungis,
Et firmas thalamos & vincula nectis amantum,
Concede, vt felix cum coniuge uiuat lolas,
Floreat, atq; diu mihi uiuat doctus lolas.

DAP. Te voco, qui fluuios latices in dulcia uina
Vertisti, quas fundo preces, hauri auribus æquis,
Des illis placidam concordiam in fœdere uitam,
Et fortuna diu constans aspiret utrisq;
Floreat, atq; diu mihi uiuat doctus lolas.
Hymen hymen hyemenæe hymen ades ô hyemenæe.

MEN. Sint illis virides anni, viridisq; iuuentus,
Atq; horti virides, sint & viridantia rura.
Ac vt oliuarum ramus se pandit in horto,
Et vetus extendit frondentia brachia vitis:
Sic ô sic mensam circudent filij lolæ.
Floreat, atq; diu uiuat mihi doctus lolas.
Hymen hymen hyemenæe hymen ades ô hyemenæe.

DAP. Pulcher hymen, festiue hymen, hymen ô hyemenæe,
Dulcis hymen, genialis hymen, ades ô hyemenæe.
Floreat, & uiuat longum mihi doctus lolas.

MEN. Dicimus ô hyemenæe hymen, ades ô hyemenæe,
Felix ô hyemenæe, hymen felix, hymen ee.
Floreat, & uiuat longum mihi doctus lolas.

FINIS.

aut emissa voce magna ex
piravit **ps. nr.** Et uidi ce
phi lassu e' in duo. alio me uita
deorsu. Vides aut e' in quo
exadulo stabat. ga sic clamor
expirasti ait. Ver. hic homo
di filius erat. Erat aut e' in
heres de lege aliter. Me
qs erat in. Me. Me. Me.
et maria. Me. Me. Me. Me.
yoseph. Me. Me. Me. Me.
Et cu' e' in. Me. Me. Me. Me.
eu. et misit. Me. Me. Me. Me.
miser q' h'nt. Me. Me. Me. Me.
ultra. **ex.** **E**rat
seru e' in. Me. Me. Me. Me.
erat qd e' in. Me. Me. Me. Me.
yoseph. Me. Me. Me. Me.
decurio. Me. Me. Me. Me.
decurio. Me. Me. Me. Me.
me adpysate. Me. Me. Me. Me.